



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio**

**Coloniae Vbiorvm, 1645**

CAP. LVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10133**



Peccavi, Domine, peccavi, & malum coram te feci. non inficior peccata mea, non excuso, non extenuo; sed palam efferò, sed multa, sed magna; sed nefanda esse, vociferor. Parce igitur, parce confitenti, clamanti, gementi; & propitius esto peccatis ejusdem, propter nomen tuum. Nam per discipulum illum, quem Iesus Christus filius tuus dilexit ex omnibus plurimum, cui matrem suam, matrem item meam, ac peccatorum omnium comunem patronam, commendavit, scriptum legitur, quod; si confessi fuerimus tibi, fidelis es & justus, ut remittas nobis peccata nostra, & emundes nos ab omni iniquitate. At certe præstaret, antea millies quamvis carnificinam subisse, quam te creatorem, redemptorem, ac salvatorem meum offendisse: sed, quoniam id, quod factum est, infectum reddi non potest, ac sapius, quæ scita sunt in tuis legibus, sum ausus infringere; ad illud ultimum tutissimumque perfugium, nimirum ad aram misericordiæ tuæ, supplex accedo. hanc amplector, hanc teneo; neque antea dimittam, quam resonet in medio cordis mei vox illa tua dulcissima: Remittuntur tibi peccata tua; fiat tibi sicut vis.

## C A P. LVII.

**Q**uod eo confidentius facio, quod apud thronum misericordiæ tuæ advocatum habeo Iesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis meis, non pro meis autem tantum, sed etiam pro totius mundi. At pœna temeritatis danda est; &, nisi purgatorium ignem experiri malim, multis hic asperis, gravibus, acerbisque ferendis, peccatorum meo-